

ordinata eatenus, benigneque resoluta Commissione Regia uberius remonstrandis; administrandaque eatenus Civitatibus Caproncensi et Varasdiensi, tam Arcensi, quam Civitatensi Jurisdictioni, aliisque, per utrumque praemissum, Varasdiensem videlicet et Carlostadiensem Generalatum, sive per praejudiciosam admodum Foenilium depascuationem, sive alias qualitercunque laesis et injuriatis, effectiva Justitia et Satisfactio, ad Commissionem supramemoratam, Articulo 88. remittitur, indubie effectuada.

Ut Familia Erdödiana, in integrum Jurium suorum reponatur.

Articulus 93.

Justum esse agnoscit Sacratissima Caesarea Regiaeque Majestas, ut Familia Comitum Erdödy, in illam Montis Claudii, Bonorumque ac Jurium eo spectantium Possessionem, quam sub magnae memoriae Imperatore ac Rege LEOPOLDO, penes benignas Ejusdem Regias Resolutiones cum subsecuta Metarum, a circum-adjacentibus Confiniis separatione ac distinctione, realiter ac effective obtinuit; per Commissionem 88. Articulo clementer resolutam ac ordinatam iterum reponatur;

§. 1. Aut eadem Commissione ne fors dilata, vel ex quocunque demum capite non procedente; ad avertenda Ejusdem Familiae gravia damna, totque Eidem illata praejudicia, per aliam, eum in finem, a Sacratissima Caesarea et Regia Majestate clementer ordinandam, finita praesenti Diaeta, quantocyus praemissa effectuentur; *)

§. 2. Confiniarumque Ivaniczenses ac Crisienses, ab intentandis quibusvis Violentiis, Invasionibus et Occupationibus, taliterque inferendis Damnis; serio et districtim coerceantur.

De Nobilitate Trans- et Cis-Colapiana; qualiter illatas et ne fors inferendas sibi per homines, et Officiales Cameraticos injurias, legitimo Jure vindicare valeat?

Articulus 94.

In Illatis sibi per Homines et Officiales Bonorum antea Frangepaniano- et Zrignano-Fiscalium, ad praesens vero Camerae Graecensis, hactenus et ne fors in futurum inferendis, tam bene realibus, quam Personalibus, uti et mixtis injuriis; Nobilitas Trans- et Cis-Colapiana, uti et Maritima, Legali Juris via (Sua Majestate Sacratissima clementissime annuente) procedat;

§. 1. Et beneficio Articuli 44. Anni 1715. imperturbate utatur. **)

*) Confer; An. 1741. a. 51.

**) Allegatur; An. 1741. a. 52.